



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 7. Ægroto agricolæ Deus fraga mittit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)



gratulata est; Deoque, quasi, ob beneficium, gratias retulit. Adfuit illico proemium virtutis. Nam summus ille paterfamilias, tanta os eius faucésque dulcedine compleuit, ut nunquam aliquid suavius, in omni vita sua, se meminerit, gustauisse. Neque corpori duntaxat ea data est dulcedo; sed menti insuper deliciae sese tam infunderunt copiosae, ut diceret, se omnibus eiusmodi esculentis, usque ad extremum obitus sui diem, carere velle, dummodo adhuc semel, gaudiū animi simile liceret persentiscere. O quàm verè dixit ille: *Parasti, in dulcedine tua, pauperi Deus!* Qui enim nouit & sustinere, & abstinerere, qui gaudere paupertate, qui inopiā delectari; ei Deus & cocus est, & medicus, & opsonator. Adeo homines paupertate uti ad meritum, vel abuti ad impatientiam possunt; &, sicut, ex eadem arundine, vel fistula fieri potest, vel sagitta; ut aut canat, aut lædat; ita ex eadem rerum inopia delectari potest quispiam, vel cruciari.

Psal. 67.  
II.

§. VII.

*Agroto agricola Deus fraga mittit:*

Duo hic commemorabo, vnum est de simplici, sed pio agricola. Vdalrico nomen est, & eius memoria habetur sancta, in sacello,

R 2 non



non procul Abusiaco, intra montium primas fauces sito; ibi, vbi *Iulij Cæsaris* immensus, de rupe, trans *Lycum*, saltus monstratur. A Egrotabat is agricola, media hyeme, cum omnia niuibus cooperta horreret. Incessit eum alieni temporis cupido, nempe fraga comedendi. Et illico fraga de niuium candore rubentia reperta sunt. Facit nimirum Deus voluntatem timentium se; & omnia seruiunt illi, qui seruit Deo.

## §. VIII.

*Ægroto Petro Canisio aduolat auicula  
in cibum futura.*

Alterum de nostro Petro Canisio, in eius vita refertur. Accidit id ei senio morboque graui, & penè morti vicino. Nam, cum stomachus iam auersionibus laboraret, sepius à ministro cubiculi fatigatus, ut significaret, quo cibi desiderio teneretur, auiculam tandem nominauit. Prodyt in forum Oeconomus, nullaq; reperta, tristis domum redijt; cum ecce ad vesperam, aperta fenestra cubiculi, anis quasi diuinitus immissa se nullo negotio capiendam, tantùm non ultro offert, &, vt Poëta canit:

*Ille ter, illa quater per inane cubile vagata,  
Ambijt humanas cœna futura manus.*

*Qua*

Matth.  
Rader.  
lib. 3. de  
vita Petr.  
Canisij  
c. 3.

Iacob.  
Bidern.  
lib. 1. E-  
pigr. 119.